



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 93. Cæsarei hac oratione expugnati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)



Sæcul. XVI.  
A.C. 1510.

culum, adæquate & obstruite hanc pestilentissimam mephitim ac sentinam, hanc voraginem & præcipitium omnium vitiorum. Vendicate & vos, & Christianum Orbem in libertatem, solvite vos a tanto metu. Eradicatè genus, num potestis esse tuti, si relinquitis eos, quibus Venetiæ, Istria, Liburnia, Corcyra, Cephalenia, Zacynthus, simulque Creta ac Cyprus adhuc supersunt? Patefacite istas execrabiles ac diras portas Venetianas, quæ tamdiu Christianos adversus Infideles progredi elaborantes continuerunt, ea igitur pietate, qua Julium Pontificem Maximum, qua Christianissimum nostrum Francorum Regem & Catholicum Regem Arragoniæ, Principes sapientissimos exactæ ætatis, & consummatissimæ vitæ, tres columnas Christianam Religionem suis humeris sustentantes esse videtis, eodem & vos, o Maximiliane Auguste, o Proceres, & civitates Imperii Romani, prima sustinendæ libertatis, ac Religionis columna, & animo, & pietate esse debetis: nam nisi illi vidissent excidium, ac ruinas a Venetis, & a Turcis imminere Christianis, nunquam profecto adversus eos arma tam justa, tamque pia sumpsisset.

§. XCIII.

*Cæsarei hac oratione expugnati.*

**H**ujus orationis vehementiæ optatus collusit successus; quippe paulo post non



non modo pro Venetis perorare interd-  
 ctum fuit, sed & ipsi per Cæsaris edictum  
 imperio proscribebantur: Maximiliano  
 autem trecenta ferme aureorum millia in  
 subsidium adversus Venetos promissa fue-  
 re. Helianus quoque, comitis ita ab-  
 solutis, Budam profectus, Hungariæ Re-  
 gem, ut Cameracensi foederi nomen da-  
 ret, induxit, spe facta, quod Dalma-  
 tiam sibi a Venetis ereptam recuperatu-  
 rus esset: attamen quamvis bellum Ve-  
 netis nunciasset, id tamen intulisse haud  
 videtur.

## §. XCIV.

*Veneti Veronam recuperare nequid-  
 quam moliti.*

Nihilominus Venetorum Senatores pro-  
 speris successibus elati, spretis Re-  
 gis Hungariæ minis Veronam ex insidiis  
 capere decernebant, audaciam stimulan-  
 te hujus urbis civium seditione, qua hi  
 in Germanos acrius concitati, una om-  
 nes jugulare statuerunt, ac præprimis  
 exploratæ fidei Virum ad Senatum ab-  
 legarunt, qui cum Senatoribus de ratio-  
 ne Venetorum copias in urbem immit-  
 tendi ageret; cum autem murorum al-  
 titudine minus accurate descripta, sca-  
 læ, quæ parabantur, Fastigium minime  
 attingerent, mora temporis, quo duæ  
 in

Sæcul. XVI.

A.C. 1510

Guic. 1. 9.

Marian. lib.

30. n. 3.